



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 184. Cæsar Protestantés a perniciosis fœderibus nequicquam
dehortatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. ges literis suis ad foedera contra Cæ-
 A. C. 1617. sarem ineunda sollicitabat, reclamante
 licet quodam Heidelbergensi Confilia-
 rio, cui quidem Catholicos extirpandi
 consilium probabatur, id tamen Bata-
 vorum ope fieri displicebat, unde etiam
 Wakerus Imperii misere dilacerati caus-
 sam Hollandis unicum adscribebat, eo-
 quod *hi tam audacter contra Cæsaream
 Majestatem, & Romanum Imperium insur-
 gere, illudque integrum ludificari præsume-
 rent.* Querebatur etiam jam antea ipse
 Imperator in comitiis Pragæ habitis
 coram Imperii Statibus de arrogantia,
 continuisque Hollandorum in Imperium
 excursionibus & in Archiepiscopatus, &
 Ducatus, necnon de violentia, qua oc-
 cupato transitu ad Rhenum, Mosam,
 Amesim, Visurgum, Albim & Oderam
 insuper Brunsvicensibus succurrere, Ju-
 liacum invadere, atque in Cæsareæ
 Majestatis perniciem ipsum etiam Sul-
 tanum ad bellum Germaniæ inferen-
 dum urgere præsumpsissent.

§. CLXXXIV.

*Cæsar Protestantes a perniciosis fœ-
 deribus nequicquam dehortatus.*

Verum Protestantes, cum Austriacam
 Domum evertere, firmum fixumque
 haberent, has Cæsaris querelas flocci
 habe

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

habebant; postquam vero Mathias Imperator compererat, quod Heilbrunæ congregati præter arma in Hispanos, & Ferdinandum Archiducem parata, & alia subsidia a suis Fœderatis decreta, insuper novum in Germania bellum, quo Catholici unacum Cæsare detinerentur, clam adornassent, hinc Cæsar ad Electorem Heidelbergensem literas dedit, quibus ipsum, ceterosque Protestantes Status hortabatur, ut perniciosas in Imperio dissensiones, necnon adversus pacta Electoralia, aureamque Bullam initas inter se fœderationes solverent, militiamque exautorarent, eoquod vicissim Catholici fœderati ad abrogandam suorum unionem paratos sese exhibuissent, dummodo idem a Protestantibus quoque fieret: His alias quoque literas ad Principes Heilbrunæ congregatos addidit Imperator, quarum hæc summa est:
 „Nostis, quam paterne vos die decima octava Aprilis anno 1613. monuerim, ut fideliter mihi adhærentes ab omnibus fœderationibus abstineatis: nec etiam ignoratis, quam sollicitè ac sæpissime incubuerim, ut gravamina vestra abrogarem, quod ipsum etiamnum vel amica transactione, vel aliis in Imperio receptis mediis facere, factasque eo nomine armorum Societates

T t 2

„tates

Sæc. XVII. „tates tollere cupiam. Dedi quidem
 A. C. 1617. „ad Moguntinum, & Palatinum Ele-
 „ctores eo fine literas, ut vos ab his
 „unionibus dehortaretur: inde omnes
 „facile colligere possent, interveniente
 „etiam mea promissione & mandato,
 „ejusmodi fœderibus haud amplius o-
 „pus esse, sed decere potius, jam fa-
 „ctas uniones abrogare, quam novis
 „conventibus eas confirmare; cum præ-
 „sertim istæ in periculosas dissensiones,
 „& perniciosam Imperialis Unionis, &
 „Imperii Constitutionum everfionem,
 „summum apud exteros opprobrium,
 „& bellicos tumultus desinere, quam
 „facillime possint. Hinc mearum par-
 „tium est, ut monente meo Officio &
 „Bulla aurea, periculum hoc a finibus
 „Imperii avertam, prout hactenus egi,
 „& re ipsa a Catholicis obtinui, ut cun-
 „ctas uniones, dummodo Protestantes
 „idem faciant, se abrogaturos promi-
 „serint. Igitur moneo, & præcipio,
 „ut habita ratione juramenti, quo mihi
 „addicti estis, rescissis ejusmodi fœde-
 „ribus in obsequium redeatis, & quie-
 „te viventes salutarem meam intentio-
 „nem promoveatis: vicissim declaro,
 „quod ea, quæ promisi, effectui dare
 „vosque adversus omnem vim externam
 „defendere, nulloque novo onere gra-
 „vare intendam. „

§. CLXXXV.